Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

mie. In nouissimo autem die magno festiuitatis. stabat iesus
et clamabat dicens. Si quis sitit. ueniat ad me et bibat. Qui cre-
dit in me sicut dicit scriptura. flumina de uentre eius fluent aque
uiue. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.

In diebus illis. Congregati sunt babylonii Lc. iii. Daniel. prophe
ad regem. et dixerunt ei. Trade nobis danielem qui bel destruxit. et
draconem interfecit. Alioquin interficiemus te et domum tuam. Uidit ergo rex
quod irruerent in eum uehementer. et necessitate compulsus tradidit eis
danielem. Qui miserunt eum in lacum leonum. et erat ibi sex diebus. Porro
in lacu erant leones septem. et dabantur eis cottidie duo corpora et
due oues. et tunc non data sunt eis. ut deuorarent danielem. Erat autem
abacuc propheta in iudea. et ipse coxerat pulmentum. et intriuerat panes
in alueolo. et ibat in campum ut ferret messoribus. Dixitque angelus
domini ad abacuc. Fer prandium quod habes in babylonem danieli. qui est in
lacu leonum. Et dixit abacuc. Domine babylonem non uidi. et lacum ne-
scio. Et apprehendit eum angelus domini in uertice eius et portauit eum ca-
pillo capitis sui. posuitque eum in babylone supra lacum in impetu spiritus
sui. Et clamauit abacuc dicens. Daniel serue dei. tolle prandium
quod misit tibi deus. Et ait daniel. Recordatus enim es mei domine deus
meus. et non dereliquisti diligentes te. Surgensque daniel comedit.
Porro angelus dei restituit abacuc confestim in locum suum. Uenit ergo
rex die septima ut lugeret danielem. et uenit ad lacum et introspe-
xit. Et ecce daniel sedens in medio leonum. Et exclamauit rex
uoce magna dicens. Magnus es domine deus danielis. Et extraxit
eum de lacu. illos autem qui perditionis eius causa fuerant intromisit
in lacum. et deuorati sunt in momento coram eo. Tunc rex ait. Paue-
ant habitantes in uniuersa terra deum danielis. quia ipse est
liberator et saluator faciens signa et mirabilia in celo et in terra.
qui liberauit danielem de lacu leonum. Ev. Iohan.

In illo tempore. Ambulabat iesus in galileam. non enim uolebat in iudea
ambulare. quia querebant eum iudei interficere. Erat autem in pro-